

Quod igitur fundamentum hujus quaestionis est, id praeclare jactum videtis. Quum enim non instituto aliquo, aut more, aut lege sit opinio constituta, maneatque ad unum omnium firma consensus: intelligi necesse est, esse deos, quoniam insitas eorum, vel potius innatas cognitiones habemus. De quo autem omnium natura consentit, id verum esse necesse est. Esse igitur deos confitendum est. Quod quoniam fere constat inter omnes non philosophos solum, sed etiam indoctos: fateamur, constare illud etiam, hanc nos habere sive anticipationem, ut ante dixi, sive praenotionem deorum. Sunt enim rebus novis nova ponenda nomina, ut Epicurus ipse *πρόληψιν* appellavit, quam antea nemo eo verbo nominarat.

Acad. prior. II. 10. Sequitur disputatio copiosa illa quidem, sed paulo abstrusior (habet enim aliquantum a physiciis); ut verear, ne majorem largiar ei, qui contra dicturus est, libertatem et licentiam. Nam quid eum facturum putem de abditis rebus, et obscuris, qui lucem eripere conetur? Sed disputari poterat subtiliter, quanto quasi artificio natura fabricata esset primum animal omne; deinde hominem maxime; quae vis esset in sensibus; quemadmodum primo visa nos pellerent, deinde appetitio ab his pulsa sequeretur; tum ut sensus ad res percipiendas intenderemus. Mens enim ipsa, quæ sensuum fons est, atque etiam ipsa sensus est, naturalem vim habet, quam intendit ad ea, quibus movetur. Itaque alia visa sic arripit, ut his statim utatur; aliqua recondit; e quibus memoria oritur. Cetera autem similitudinibus constituit: ex quibus efficiuntur notitiae rerum; quas Graeci tum *ἐννοίας*, tum *προλήψεις* vocant. Eo quum accessit ratio, argumentique conclusio, rerumque innumerabilium multitudo: tum et perceptio eorum omnium apparet, et eadem ratio perfecta his gradibus, ad sapientiam pervenit. Ad rerum igitur scientiam, vitaeque constantiam aptissima quum sit mens hominis, amplectitur maxime cognitionem: et